



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Antonini Diana Panormitani, Cler. Reg. & S. Officij
in Regno Sicil. Consultoris, Practicæ Resolutiones
Lectissimorum Casuum**

Diana, Antonino

Antverpiæ, 1645

Adulter.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41753

propriè dicto, non autem in opinione.

Vasqu. & Sancius *ibid. res. 10.*

Vide *Articulus mortis.*

Adulter.

1 **C**onjugatus qui delectatur de copulâ imaginariâ cum vxore alienâ, non solum peccat contra castitatem, sed etiam contra iustitiam: quia coniux per matrimonium non tantum corpus, sed etiam affectus coniugij obligauit. *Bonacin. p. 3. tr. 6. res. 73.*

2 Adulter qui suscepit prolem ex alterius vxore, probabiliter non tenetur ad resarciendum damnum legitimis filiis, modò ipse non fuerit auctor suppositionis. Tenetur tamen restituere alimenta proli impensa à tertio ætatis anno, *Sotus & alij 2. p. 2. tr. 17. res. 35.*

3 Non tenetur vxor pecunias per adulterium partas, marito, aut alteri restituere; quia damnum per adulterium illatum non est pecuniâ estimabile: neque leges adulterium prohibentes, reddunt irritam illam acceptionem. *Bonacin. & alij 2. ibid. res. 7.*

4 Ecclesiasticis legibus non licet vxorem in adulterio deprehensam occidere: nam ex contrariâ sententiâ expo-

B**neretur**

neretur manifesto periculo æterna fa-
lus sic interfectorum. Pontius & alij
48.p.3.tr.4.ref.223.

Aduocatus.

1 **A**Duocatus non tenetur de culpâ
leui; vnde si contingat eum causâ
cadere, eò quòd non præstitit quod di-
ligentissimus præstitisset; tamen si præ-
stitit quod solent diligentes, & docti
in similibus causis, nõ tenetur ad resti-
tutionē. Lessius & alij 8.p.2.tr.15.ref.59.

2 Potest aduocatus ex opinione pro-
babili, relictâ probabiliori, patrocinari
causæ actoris, etiam vbi agitur de san-
guine, honore, aut amissione omnium
bonorum. Sanch. & alij 3. Imò etiam si
causa sit dubia, non peccat illam susci-
piens. Quia aduocatus nõ profert sen-
tentiam, sed solum proponit quæ vi-
dentur causæ profutura. Malder. & alij
6.p.2.tr.13.ref.4. & 6.

3 Secundùm Sancium potest aduoca-
tus in praxi tutò amplecti opiniones
Antonij Fabri, Duareni, Cuiacij, &c. si-
milium iuriconsultorum: putat enim
speculatiuè veras seu probabiles, etiam
practicè esse tales. *ibid* ref.5.

4 Quando litigantes conduxerunt
Ad-